



Praxi iuris

1766, 6

4

DISSERTATIO
DE
P R A X I I V R I S
M O N I T A G E N E R A L I A
S I S T E N S

Q V A M
C O N S E N S V I L L V S T R I S F A C V L T A T I S

D I E X X I I . M A R T I I A . M D C C L X V I .

P R O P O N V N T

P R A E S E S

I A C O B V S R A V E

P H . E T I . D .

C Y R I A E P R O V . S A X . A D V . O R D . P H I L . P R O F .
E X T R A O R D .


E T

R E S P O N D E N S

C H R I S T I A N V S A V G V S T V S S C H O L B E R


L . L . C .

A L T E N B U R G E N S I S .



I E N A E

L I T T E R I S F E L I C I S F I C K E L S C H E R R I I



P. 402

ed
E
nos
sed
lrg
nos
rot
n
rta
agit
qu-
atur
nan-
diu-
t de
bere
petit
NA-
PIS
titis
tam
im,





DE
PRAXI IVRIS MONITA GENERALIA.

§. I.

De obiecto huius disquisitionis.



Iurisprudentiae studium satis amplum duabus partibus continetur, quarum altera in ipsis legibus, altera in applicatione legum ad species obuinentes versatur. Vtraque pars potest ad formam disciplinae reduci, et si quidem non erro, *scientia de legibus constitutis, quae tam in se, quam in applicatione obseruandae sunt* constituit THEORIAM IVRISPRVDENTIAE *scientia vero de regulis rationis et consuetudinis, quae in applicatione legum et actibus eam concernentibus obseruantur* constituit PRAXIN IVRISPRVDENTIAE. Theoria iurisprudentiae comprehendit vniuersam doctrinam iuris quatenus legibus continetur, sint hae leges de ipsis iuribus et obligationibus constituentes, vel de actibus qui ius concernunt vel in specie de ordine
obti-



obtinendi iuris, unde tam Theoria de iuribus personarum et rerum, quam de actibus iudicialibus aequae ac extraiudicialibus ex legum praescripto moderandis quin et ipsa doctrina de processu ad theoriam iurisprudentiae refertur. Et potest ea quoque nomine *doctrinae legalis iurisprudentiae* insigniri. Praxis vero iurisprudentiae occupatur in regulis artis, quae in applicatione legum et eo spectantibus actibus non debent non omitti, unde in hac parte quaeritur, quomodo in quolibet singulari actu ex legum praescripto expediendo versandum sit Iureconsulto, ne quid contra legem efficiat, et tamen apte et convenienter omnia peragat. Et potest haec iurisprudentiae pars *doctrina artificialis* illius dici. Animus est de hac parte proponere generalia.

SCHOL. I.

Satis apte me separasse iurisprudentiae officia puto, convenienter menti CICERONIS qui *L. I. C. 48. de Oratore* ita: *Iureconsultus legum et consuetudinum earum, quibus in civitate privati utuntur, et ad respondendum et ad agendum et ad cauendum peritus esse debet*, quibus verbis satis prodit, peritiam legum hauriendam esse, eaque hausta peritiam applicandi. In eadem mentem differit *M. FÜTTERERS* in *der Anleitung zur iuristischen Praxi* §. 4. *der Vorbereitung: Der Unterschied der praktischen Rechtsgelehrsamkeit von der theoretischen besteht nicht darin, daß diese die Rechte und Verbindlichkeiten selbst, iene nur die Art solche in die Wirklichkeit zu setzen, und besonders den Proceß in sich begreift, sondern der Proceß gehöret noch zur Theorie, wie er denn auch selbst blos in einer durch Gesetze bestimmten Ordnung bestehet, die dem Richter, dem Kläger und Beklagten iedem seine Rechte und Pflichten anweist. Hingegen gehören Rechte und Verbindlichkeiten, so bald es in einzelnen Fällen auf deren Errichtung, Aufhebung oder Beurtheilung durch rechtliche Gutachten ankommt, zur iuristischen Praxi. Vide quoque L. B. DE SENCKENBERG methodum iurispr. §. 81. p. 41.*

SCHOL. II.

Vt theoriam iurisprudentiae iterum distinguas in partem *theoreticam* et *practicam* non impedio, id enim fieri ex iustis rationibus mihi persuadeo, et proponendae sunt in priori leges de ipsis iuribus hominum



num et modis consequendi et amittendi illa factae, in posteriori leges de modo et ordine persequendi iura sua ideoque de actionibus et exceptionibus de iudice et de processu.

§. II.

De praxeos iuridicae partitione.

In praxi iuridica opus est a) prudentia, ut in omni actu evitetur dolus et captio aliorum, riteque omnia fiant, ne in futurum materia litium oriatur b) arte et regulis debite proponendi singula, quae in actibus iuridicis proponenda et expedienda sunt. Prior inspectio *iurisprudentia cauens* dicitur, altera *praxis iuridica* in specie, de utraque sigillatim agam.

SCHOL.

Ita Exc. CLAPROTH. in der Vorrede zu seiner Anleitung zum referiren: Man kan die Praxin nennen, die Fertigkeit die Gesetze auf vorkommende Fälle anzuwenden, die bürgerlichen Handlungen mit Klugheit einzurichten, und die entstandenen Rechtshändel gehörig zu bearbeiten.

§. III.

De iurisprudentia cauente.

CAVERE, a verbo enim incipere liceat, est *securitati suae prospicere*. Utimur vero hoc verbo in arte athletica, ubi idem est ac, per interceptionem praevius teli, illud auertere. Utimur eodem verbo in iurisprudentia et duplici quidem significato 1) pro remedio legitimo, quo magis tuti reddimur contra frustrationem debiti ab altero solvendi, unde cautionem praestare, satisfacere Vorstand durch Pfand oder Bürgen bestellen; 2) pro applicatione regulae prudentiae in negotio ius concernente, ad excludendum metum captionis invaliditatis et futurae litis. A Cavere CAVTIO dicta est, cui verbo eodem tribuimus significatus. Apud pugillatores sine Kavade. Iureconfulti in priori sensu, quo hoc verbo utuntur, retinent nomen cautionis, in altero vero significato, qui huius loci est, parum latine licet, dicunt cautela. Graeci εὐρήμα dicebant siue βέλεια, quorum verborum prius receperunt Icti Romani, ceu videre est ex fragmentis MODESTINI de heurematicis elegantissimo commentario illustratis ab HENR. BRENCMANNO.

A 3

§. III.



§. III.

Continuatio.

Nos de cautione dicimus in vltima significatione et eam ita definiendam putamus: est *regula prudentiae in negotio ius concernente ad excludendum metum captionis, inualiditatis et futurae litis adhibita.* Hinc IURISPRVDENTIA CAVENS siue CAVELARIS siue HEVREMATICA est *scientia de inveniendis et applicandis regulis prudentiae in negotiis ius concernentibus ad excludendum metum captionis inualiditatis et futurae litis.*

SCHOL.

Struximus haec notiones ex illis, quae cognouimus doceri ab iis, qui de cautelis scripserunt. Consultuimus vero inprimis STRYKIVM qui in hac materia copiosissimus est a), HERTIVM b), CLAPROTHIVM c), BRENCMANNVM d) et HEINECCIIVM e).

- a) Huius de Cautelis extant dissertationes et speciales tractatus de cautelis testamentorum, iuramentorum, contractuum et actionum.
- b) in *diff. de iurisprudencia cauente et de cautelis in materia feudorum.*
- c) in *Iurisprudencia heuematica, sub quo titulo tamen non nisi materiam de cautelis pactorum et contractuum propositam videmus.*
- d) in *diatriba de heuematicis.*
- e) in *praefat. ad STRYKII tract. de cautelis contractuum.*

§. V.

Quae hinc consequuntur.

Ex notione cautelae et iurisprudenciae cautelarum cognosci poterit, duas esse huius rei positiones, altera de cautelis inueniendis et natura illarum in genere, altera de cautelis singulorum negotiorum, de illa hoc loco tractandum est, hanc enim quis poterit vna commentatione complecti? quum quodlibet negotium contractus, testamentum, iuramentum, actio, processus habeat peculiare et proprias cautiones.

§. VI.

§. VI.

De Iurisprudentiæ caute Romanorum.

Romanorum iurisprudentia cauens quid continuerit ex HEI-
NECCII all. præfatione dicam breuiter. Duplici scopo haec ars
ipsis inferuisse videtur, comprehendebat enim:

a) remedia et consilia aduersus iuris ciuilibus rigorem et subtilitates
nimias inuenta, quos scopulos euitaturi Praetores et ICI ute-
bantur:

a) *colore quodam* quo obducebant interpretationem legis stricto
iuri non conuenientem, sed aequitati attemperatam, vt non
tam leges euertere, quam eas factò adaptare viderentur.
Est autem color obductus, nouum nomen minuens sensum
veri nominis sed eundem effectum habens, vt si subueniri
propter ius strictum sub vero nomine non possit, sub hoc
nomine subueniatur. Huius generis sunt bonorum pos-
sessiones, quas praetor dabat, si propter ius strictum ipsum
succedendi ius dare prohibebatur. Huc actiones in factum
quae dabantur, si propter reuerentiam de dolo agere non
licebat.

b) *Fictionibus* hoc est *adsumtionibus certo falsi pro vero ad stabi-*
liendam aequam iuris dispositionem. Quae hanc notam habent
cautiones totum ius Romanorum ex omni parte circum-
fundunt, multaeque Leges corporis iuris, quas iam ex ius-
tis rationibus deriuatas habemus, originem suam fictionibus
debent. Disposuit illas et collegit ALTESERRA *de fictio-*
nibus iuris cuius opera vero accuratiorem manum expectare
videtur. Hoc artificio utebantur Romani partim ad retra-
hendum factum quoddam ad aliud tempus, quam quo vere
factum erat, partim ad rescindendum actum stricto iure va-
lidum, sed aequitati contrarium, partim ad sustentandum
eum, qui stricto iure inualidus erat.

c) *Formulis et clausulis*, quibus adhibitis ea, quae stricto iure
fieri non poterant, effectum accipiebant. Exempla sunt
stipulatio aequileiana, arrogatio ex edicto diui Pii et clau-
sula codicillaris,

2) Con-



- 2) Comprehendebat remedia et consilia captionibus aliorum opposita. Vnde suggesta media, tum ne actus fieret inualidus, tum ne inde damnum emergeret. Vnde de tota forma actus et tutissima eius expediendi ratione, itemque de iustis eius limitibus et concipiendi modo praecibebant.

Ex his obiectis prius in tantum apud nos cessat, vt de coloribus et fictionibus cogitare ad obruibilandas leges non liceat, de formulis et clausulis in tantum liceat, in quantum id legibus fraudi non est. Vnde alterum obiectum cautionum nostris curis in primis commissum restat.

§. VII.

Cautionum generales regulae.

Iam se ad doctrinam de cautelis in vniuersum (§. V.) vertit oratio. Nec opus erit, multis conquisitis ratiunculis demonstrare earum summas regulas esse has.

- a) Ne sint abundantes id est tales, quae id praecipunt, quod per ipsas leges satis cautum ac stabilitum est, aut insoliti aliquid continet. Hoc scilicet est delectari quisquiliis, quum Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri. Multum vero in hoc peccari apud nos instrumenta iuridica intuentibus adparebit. *STRYK de cautelis abundantibus.*
- b) Ne legibus sint aduersae et in fraudem earum conceptae. Quas merito exagitat *IOH. FICHARDVS in praefat. ad cautelas Caepollae*, et sunt in cautelis caepollanis huius notae multa v. c. Caut. XXXVI. pater filium exclusurus a legitima, vendat bona, reservato vsu ad mortem.

Caut. CX. aduocatus si habeat diuitem clientulum differat causam prolatis exceptionibus, a sententia interloquutoria appellet, negligat terminos vt restitui in integrum possit, urgeat nullitatem etc. vbi ipse Caepolla addit: pudet me talem recitare doctrinam.

Caut. XVIII. si habes vnum testem contra te, des ipsi alapam, inde excipies est inimicus.

c) in-



- c) inuenire cautelas poterit, qui omnia quae circumstant negotium, et tum inuolidum illud reddere, vel commodum conciliare, vel damnatum possunt, in numero habet. Indeque tum quae iuris sunt in negotio, tum quae usus probauit sciat.
- d) toto itaque perspecto iure imbuti doctrina morum et politicis praeceptis, eritis ad cauendum apti.

§. VIII.

Continuatio.

Quia vero triplici fini inferuiunt cautelae (§. III.) quaedam de vnoquoque addenda sunt. Ad excludendas captiones et dolum alterius prudentia suggerit.

- a) vt ita agamus, quo alter sentiat, defraudare nos eum nolle.
- b) vt reservationibus mentalibus alterius praeueniamus.
- c) vt ea reticeamus, quae alteri scitu non sunt necessaria, et facile tamen conatum fraudandi apud ipsum excitare possunt.
- d) vt artis peritos, testes et scripturam adhibeamus in subsidiuum.

§. VIII.

Continuatio.

Ad euitandam inuoliditatem actus:

- a) totam formam tum a iure praescriptam, tum usu additam exactissime obserua.
- b) si de forma est electio, eligas eam quae minoribus premitur sollempnitatibus. Exemplum sit de testamentis, quorum priuata confessio vndique circumsepta est apicibus; publica multo remissior.
- c) si de iusta secundum leges forma lis est inter Iureconsultos tutissimam opinionem sequere; tutissima vero est, qua obseruata, et dissentientes inueniunt obseruari suam. Sic v. g. lis est an testamentum per procuratorem iudici offerri possit? non erit de inuoliditate timendum, si ipse offeras. Lis est de testibus codicillaribus an sollempnes illi esse debeant? tu vero adhibeas sollempnes.

B

§. X.



§. X.

Continuatio.

Vt vero lites euentur, summa media sunt.

- a) ea quae indeterminata sunt, aut in lite versantur determinare pactis v. c. an dotalitium ad secundas nuptias transeunt viduae debeatur an minus, anceps quaestio est, pacto euitabis litem. De damnis ferendis, de praestanda culpa, de rei restitutione multa possunt in controuersiam vocari, quibus debetur pactum.
- b) addere media stringendi alterum ne discedat, et litem moueat, vnde poenae conuentionalis, iurisiurandi, renunciatorum insignis vsus est, vnde clausularum debes callere notitia

III. PÜTTER in der *Anleitung zur iuristischen Praxi* p. 138. *Seqq.*

§. XI.

Monitum generale.

Qui de cautelis negotii cuiusdam tractat, de regulis prudentiae in illo obseruandis tractat (§. III.) itaque scopum suum deserit, si ipsas leges huius negotii indubitas simul tradit, has enim obseruare, non pertinet ad heuremata sed ad obligationem iuris. Quapropter error circa nomen committitur, si quis tractationem de iure negotii cuiusdam, comprehendit sub nomine iurisprudentiae heurematicae. Nolumus ex tali tractatione quae de cautelis siue heurematicis inscribitur discere principia iuris, sed principia prudentiae; quae supposito iure obseruanda sunt, vt negotium quoddam fiat tutum et aptum medium ad scopum, quem per tale negotium obtinere intendimus. Id si cogitassent cautelarum scriptores, non venditassent nobis compendia iuris negotiorum iuridicorum pro introductionibus ad iurisprudentiam heurematicam. Magis id cogitasse veteres video, quam nouiores.

§. XII.

De Cautelis cuiusuis negotii.

Cautelae cuiusuis negotii dirigendae sunt ad omnia, quae hoc negotium ingrediuntur, et in quibus ordinandis prudentia opus



opus est ad euitandas captiones, inualiditatem et futuras lites. Vnde in quolibet negotio cautiones de personis, de obiecto, de forma et de exitu dandae sunt. Ad exitum refero cautelas conceptionis, futurae probationis, determinationis eius quod vagum aut incertum est, maioris securitatis et commodi, maioris confirmationis et accuratae certitudinis eorum omnium quae in negotio vel iam circumstant vel deinde euenire possunt. Quae omnia qui in negotio ponderauit, is mihi satis cauillè videtur.

§. XIII.

De Praxi iuridica in specie.

Altera pars praxeos est praxis iuridica in specie talis (§. II). De ambiguo huius verbi vsu aliqua praemonenda sunt. Licet enim in eo conueniant omnes, quod praxis iuridica in applicatione legum versetur; tamen in peculiari modo huius applicationis huic verbo modo is modo alius significatus tribuitur. Eminent vero inter illos hi:

- 1) Praxis iuridica sumitur pro complexulegum processualium, vnde institutiones praxeos iudicariae, quales a SCHAVMBURGIO ET SCHMIEDIO editas habemus sunt, tractatio de iis quae legibus conueniunt in cognoscendis et decidendis libris.
- 2) hoc verbo vtuntur alii pro quouis exercitio circa leges occupato. Vnde L. B. DE SENCKENBERG in *methodo Iurispr.* §. 81. p. 41. praxis iuris inquit *amplissima est, et aut docendo aut libros edendo ac componendo, aut propriis tantum negotiis inuigilando, aut causis agendis aut consulendo et respondendo de iure aut iudicando denique aut negotia in cancellaria et legationibus ob- eundo absoluitur.*
- 3) eodem verbo designamus interpretationem legis, quam in applicatione sequuntur plura dicasteria. Hinc de conflictu theoriae et praxeos, hinc de eo quid in praxi valeat dilquiritio.
- 4) solet quoque causarum patrocinium in primis nomine praxeos saluari.



5) denique omne studium quod in expeditione casuum iuridicorum singularium versatur relative ad leges praxis iuridica dicitur. Qui significatus convenientissimus est, isque quem hoc loco accipio, et quem accipit *III. PÜTTERVS in der Anleitung zur iuristischen Praxi.*

§. XIII.

Quid sit praxis iuridica in specie talis.

Est vero praxis iuridica in specie verbo *systematice* sumto *doctrina de regulis in ipsa expeditione casuum iuridicorum obseruandis.* Verbo vero *obiectiue* sumto est *ipsa expeditio casuum iuridicorum ad normam legis et artis*, in quo studio qui ipse versatur is practicus dici poterit.

SCHOL.

Ita de hac re *III. PÜTTERVS l. c. §. 8.* *Alle iuristische Praxi besteht darin, daß man in einzelnen Fällen schriftlich oder mündlich so zu handeln wisse, wie es jedesmal die Absicht einer Erklärung oder eines Vortrages zur Errichtung, Aufhebung, Beurtheilung oder zur Erhaltung der vorkommenden Rechte und Verbindlichkeiten nützlich und dienlich ist. Kurz Mund und Feder so zu gebrauchen, wie es der Absicht eines jeden Geschäfts, wozu man Rechtsgelehrte braucht, am gemäßeften ist.*

§. XV.

Eius diuisiones

Sunt qui praxin iuridicam in *oralem et scripturariam in iudicalem et extraiudicalem in priuatam publicam et Gentium* diuidunt. Has ego diuisiones methodi causa necessarias duco, quum in se omnis praxis iisdem nitatur regulis.

§. XVI.

et generalis partitio.

Quae vero demum sit huius doctrinae multiplex occupatio, huc tamen redibunt omnia, vt:

a) de regulis in expeditione negotiorum iuridicorum adhibendis in vniuersum agatur.

b) de



b) de qualibet quae Practico offerri potest expeditione singulares regulae proponantur.
iam id ago, ut de prima parte dicam, alteram solummodo adumbraturus.

§. XVII.

Partis generalis ulterior partitio.

Est vero praeceptorum praxeos generalium duplex consideratio altera, quae circa internam expeditionum iuridicarum vim et naturam versatur, altera quae circa externum habitum. Ad priorem spectant regulae de stilo iuridico et de conceptione exhibitae, ad alteram de formulis titulorum, rubricarum, conceptionis et complicationis praecipienda.

§. XVIII.

De stilo iuridico.

Stilus die Schreibart est modus per connexa verba prolata communicandi cum aliis cogitationes suas. Quid stilus iuridicus inde patebit. Distinguiamus itaque in stilo 1) verba, 2) connexionem verborum, 3) cogitationes communicandas. Multa de stilo praecipiunt Grammatici et Rhetores, eaque haud vilipendenda, quae singula ab ovo repetere nec vacat nec lubet. Sunt vero in stilo quo Icti vtuntur in exhibitis iuridicis quaedam plane singularia, non quidem a regulis stili discrepantia, nec abhorrentia, sed quae tamen discernunt stilum iuridicum et exhibitae iuridicae ab iis, quae iuris non tangunt applicationem.

SCHOL.

Sunt qui magis e longinquo de stilo iuridico exposituri, omnia repetunt, quod vitio vertendum non est, quia etiam praeceptis generalibus formandi sunt ad praxin iuridicam properantes, et experientia saepius comprobat, neopracticos stili praecepta generalia ex scholis Grammaticorum et Rhetorum nondum adferre. Hinc de Orthographia potissimum praecepta addidit Ill. PÜTTERVS der Einleitung zur iuristischen Praxi in dem 2ten Theil p. II. seqq. et DE IVSTI in der Anweisung zu einer guten deutschen Schreibart in der Einleitung. Proprie tamen



qui de stilo in genere erudiri cupit, Rhetores adire debet, quorum scholas magis commendandas putamus legum cultoribus.

§. XVIII.

Quae in stilo iuridico consideranda.

Virtutes stili sunt cogitationes suas distincte explicare, pro fine, quem intendimus exponere singulaque apte connectere, quaeque ita explicata, exposita et connexa sunt verbis iuste proponere aut scribere, igitur mihi singularia de modo proponendi

ICTorum tradituro, hoc videtur datum esse negotii vt.

- a) de verbis quibus vtitur disseram.
- b) de connexionione cogitationum in exhibitis iuridicis quaedam moneam.
- c) de distincta et ad propositum finem facta cogitationum explicatione agam.

SCHOL.

Die gute Schreibart inquit DE IVSTIL. c. p. 109. ist ein wohl zusammen hängender Vortrag wohl auseinander gesetzter und seinem Entzwecke gemässer Gedanken.

§. XX.

De mixtura linguarum.

Est haec constans, nec a practico quoque omittenda observatio, *verba ex altera lingua non esse adoptanda in alteram*, et hoc esse gloriam in mustaceo quaerere, si quidem consutum ex diuersis linguis centonem protrudimus. Nec delectari barbaris obloletis et ab vsu recedentibus verbis, licet. Sed est quoque in hoc puritatis studio aliquid nimii, sunt enim quaedam verba peregrini ideomatis vel ciuitate donata, vel quorum synonymicae expressiones in alia lingua aut non inueniuntur plane, aut saltem non adeo conuenientes et adaequatae, hisce quo minus vtaris, non prohibuitum est. Placet tamen ea observatio, vt, quae transferri nequeunt verba saltem litteris vernaculis scribantur, et si fieri potest terminationem germanicam accipiant,

SCHOL.

SCHOL. I.

Nescirem ego cur tu instrumentum pacis, dominium directum et utile, *Fundamental-Gesetze*, pacta unionis, *transferiren*, casus der *Succession*, usufructus etc. in vernacula diceres, cum habeas verba *Aufsatz des Friedens*, *Ober-Eigenthum*, *nutzbares Eigenthum*, *Grund-Gesetze*, *Verein*, *übertragen*, *Fälle der Erbfolge*, *Niesbrauch* etc. ut mireris, cur GLAFEIVS in der *Anleitung zur weltüblichen deutschen Schreibart* p. 318. ad imitandum proponat exemplum, quo haec verba ita enunciata sunt, sed in hac parte auctor hic alias celeberrimus labitur multoties, nec tamen se lapsum esse putat, hoc scilicet aut infra se positum putat, aut venustati non repugnans.

SCHOL. II.

Sed nomina propria et sensum significatiuum habentia male verteres, et obscuritatis notam incurreres. Sic veritas quae *Excellenz*, Referent. annus decretorius capitulatio collegium, interuentio, *Praesident*, *Vice-Praesident* appellatio, leuteratio, appellatus appellatio stante pede, indoffamentum, Visitatio, sub poena confessi et conuicti, liquidario, duplica; Replica etc.

SCHOL. III.

Inuenis in der *nützlichen Sammlung zur Erlernung der ächten und reinen iuristischen Schreibart*, Marburg 1746. Catalogum verborum, quae in vernacula satis apte exprimi possunt p. 166. seqq.

§. XXI.

De verbis iuridicis.

Habemus vero copiam verborum, quae non omne punctum ferent apud puriores, sed a lreconsultis recepta sunt, haec nollem in exilium agi, quum sint ciuitate donata, et grauitate sensus se in primis commendent, quin imo antiquitate venerabilia de his videas III. PÜTTERVM l. c. §. 28. die *Marburgische angeführte Sammlung* pag. 90. seqq. GLAFEY von der *Schreibart* pag. 52. seqq. HALBAVERS *polit. Bereds.* p. 171. seqq. Plurimum ponderis quoque in hoc genere positum est in consuetudine. In his verbis sunt:

a) Sub-



a) Substantia quaedam v. c. Anrüchigkeit, Aeußerungen, Ahndung, Nachachtung, Aufrechthaltung, Obacht, Anmassung, Anbringung, Anheimggebung, Behuf, Unterbauung, Anerbietung, Vorbildung, Vorspiegelung, Verkleidung, Verbrüfung, das Einbringen, das Herbringen, die Bündigkeit, in Betracht dessen, zum Mitbehuf, Unterbleibung, Unverbrücklichkeit, mit Bestand Rechtens, Behelfe, Beyseitzung, Begünstigung. In Conformität, Bedenklichkeiten, Bedürfnisse, Dienstwilligkeit, Beeinträchtigung, Emsigkeit, Erbgangs-Recht, Voreiligkeit, Fahrlässigkeit, im Fall und Abfall der Nahrung, Anfall, Verfall, Vorfallenheit, der Versang der Güte, Verfänglichkeiten, Unversänglichkeit, Ausfertigung, Ausfündigmachung, Unerfündigkeit, Befolgung, Erfordernisse, Umfrage, Befremdung, Frevul, Verfügung-treffen, zur rechtlichen Ausführung verweisen, Zeugenführer, die Vergantung, Gant Proces (subhastatio), Gerechtfame, Gefährde, Gebühren, Ungebühr, die Behörde verfügen, Zubehörungen, Gerichts-Stand, Geringfügigkeit, Verunglümfung, Vergütung, Hindansetzung, Nichthaltung, mit Vorbehalt, des unvorgreiflichen Dastürhaltens seyn, die Handhabung, Hulde, Beharrlichkeit, Erheblichkeit, Erheischung, Behelligung, sich die Behartigung der Gnade erbitten, Irrwahn, Irrungen in der Sache, Intimation, Vorkehr, Erkiefung, güttliches Abkommen suchen, Verkümmerung der Güter, Vorladung, Anlaß nehmen, Hintlässigkeit für Nachlässigkeit, Einlassung, Entlastung, Erledigung der Sache, Ableiben für tödlicher Hintritt, Mitleidenheit, Dienstleistung, Obliegenheit, Angelohniß thun, Handgelöbniß, mit Hand gegebener Treue, der Ablauf des Termins, Männiglich für jedermann, Maßhaltung, klare Maasse geben, Ermessen, Ermäßigung, Masgebung, Milde, Zumuthung, Vernennung anstatt Verhör, jemand mit seiner Nothdurft hören, zur Nothdurft, Zünthigungen, Nichtgeständnis, Nichtigkeit, Erörterung einer Sache, binnen Ordnungs-Frist, Pflegung der Güte, Pflichtmäßigkeit, Anberaumung einer Frist, Aufrechthaltung, Rechtsbeständigkeit, der Stand Rechtens, in Abrede stellen, Sachfälligkeit, Saumseligkeit, Aufschub geben, Verschleif der Sache, Schmälörung, Beschönigung, Aufschuldigung, ein Einsehen haben, in Rücksicht, Beyseitzung, Geld und Zeitversplitterung, Entstehung, Einverständnis, Abstellung, Tagesarth, Theilhaber, Unthunlichkeit, Unthaten, Ungüte, Betrag, Eintracht thun, aus eignen Betrieb, zum Vollzug bringen, Fürwaktung, eine Weiffung geben, es zu Weite-

run-



rungen kommen lassen, Einwendens ohngeachtet, Verwerfung, Unwesen, Erwiderung, Beziehung, Bezüchtigung etc.

b) adiectiva quaedam v. c. vermeintlich, abhelflich, abschläglich, förderjamft, danknehmend, bestmöglichst, unerfindlich, unverbrüchlich, unvorgreiflich, unzielfetzlich, geziemend, gededlich, tristig, hinterstellig oder rückständig, weit aussehend, ersichtlich, Geldspüfternd, ehrenwürdig, vermeintlich, angeblich, nahmhaft, anmaßlich, angeregt etc.

c) verba quaedam s. coniugationes v. c. in Erwegung ziehen, ermässigen, ankeingeben, beheiligen, unterbauen, in Abrede stellen, vorwalten, sich ermächtigen, erledigen, klagbar werden, sich gemüßiget finden, vorkehren, verweisen, alles Erstes verweisen, angezeien lassen etc.

§. XXII.

De usu horum verborum.

Nollem vero in hoc genere hallucinari practicum, et aucupari verba, quo magis scilicet videatur Iureconsultus, liberior quoque horum verborum vsus est in exhibitis partium, quum in sententis iuridicis adstrictior dictio sit. Nec desperatum hoc opus putabitis, qui ad forum vobis aditum parare intenditis, omnia enim poterunt, natura institutio et exercitium, sed hoc vobis habeatis persuasum, plura vos ex lectione actorum esse observatueros, quam ex institutione. Haec haec tenemus; illud adhuc de verbis obseruo, ea pro scopo esse accurate seligenda, haud dubie enim intelligitur, aliud esse narrare factum, aliud instructiones dare, aliud pactum scribere, aliud defendere, aliud supplicas litteras construere, aliud sententias ferre, aliud leges, in quibus omnibus verba in factum erunt temperanda.

§. XXIII.

De connexionione verborum.

Haec de verbis; iam de cogitationum in exhibitis iuridicis apta connexionione (§. XVIII. b) quae requirit:

a) legitimum vsum particularum, quas ad connectendas notiones et propositiones adhibemus.

b) aptam membrorum, quae in cogitationibus nostris continentur, distinctionem, et concinnam eorum per periodos inter se colligationem.

C

§. XXIII.



§. XXIII.

De particulis iuridicis.

Vtitur scilicet, vt, quo se excipiant meditationes nostrae, modum, indagemus, signis quibusdam, quae, quasi vinculis confringunt illas; idque pro diuersitate sensus, vt adeo aliis vtamur ad id exprimendum, habere ea quae sequuntur rationem suam in antecedentibus, aut repugnare iis, aut magis fulcire, aut explicare, aut illustrare, aut augere, aut continere. Itaque in particularum vsu hoc erit potissimum spectandum, quo sine haec signa sint inuenta, ne incongruo loco iis vtamur. Et sunt quoque in his quaedam Iureconsulto singularia.

- a) ad copulandas propositiones e. gr. *gleichergestalt, demnächst, nicht minder, weniger nicht, minder nicht, nicht minder auch, vollends, absonderlich, ohnehin auch, zumien auch, zu geschweigen, nicht zu denken, schliesslich, zuletzt, zuvörderst, hienächst, sodann.*
 - b) ad connectendas rationes e. gr. *weil, alldieweilen, gestalten, inmassen, allermassen, sintemalen, in Erwegung, in näherer Betrachtung, anerwogen, angesehen, bevorab, da, um so mehr als, je weniger.*
 - c) ad connectendam conclusionem, e. gr. *wohlfolglich, dem zufolge, dannhero, derowegen, solchemnach, solchergestalt also, solchemnächst.*
 - d) ad exprimendam aduersari aliud alteri, e. gr. *dahingegen, dem zuwider, immittelst, nichts desto minder, dessen unangesehen, dessen unerwogen, widrigenfalls, ansonsten schlechterdings, gestalten ausser diesem, damit nicht widrigenfalls, anderer Gestalt nicht, Gestalt ausser diesem.*
- videas III. PÜTTERVM l. c. §. 29.

§. XXV.

De apta colligatione et disiunctione.

Ad iustam deinde membrorum disiunctionem eorumque aptam coniunctionem, multum proficiet, si

- a) non formulariis inhaeres quasi oraculis sed ipsam rem intuendo, instruis omnia.
- b) si quo se inuicem ordine excipiunt cogitationes bene pendis.
- c) si omnes in obuiuo casu obuientibus casus rite determinatos circumspicias.

d) iur-



d) iustisque periodis omnia includis. Vbi facile grauitas stili iuridici te edocebit, magis vtendum esse periodis compositis, quam simplicibus. Sed caue, ne quo longiores et quo magis parenthesibus conspicuae, eo meliores putes esse tuas periodos, et ad grauitatem magis appropinquantes.

SCHOL. I.

Vsum formularium non disuadeo, plane nolo imitatore[m] seruum pecus, qui ad crepidam futuro[m] more compingit.

SCHOL. II.

Videbis quid ad hanc rem polleat imbutum esse praeceptis logicis, non iis abstractis et terminologicis, sed vtilibus.

§. XXVI.

Defensio stili iuridici.

Multa opera multoque conatu laborarunt puriores vt ICTis Persuaderent, barbariem oriri ex singulari illo dicendi genere, quo vterentur ICTi. Et siquidem illud exagitarunt, misceri latina, graeca et gallica in scriptis vernaculis absque necessitate, lubenter concedendum est, mereri hoc, vt euitetur. Sed si ICTis terminos singulares et particulas peculiare[s] eripere conantur, plura optant, quam quae tolerari possunt. Verba enim haec technicum sere acceperunt significatum, saepius non admittunt substitutionem aliorum, puritati non repugnant, licet repugnent elegantiae. Et particulae eo magis necessariae sunt, quo frequentiores sunt occasiones vtendi illis in scriptis iuridicis. Praeterea Collegiis ICTorum sat graues rationes innotescunt quare in primis in sententiis ferendis non recedant a recepto vsu. Omnis mutatio periculi plena est, vsus tyrannus. Non obtrudimus stilum iuridicum illis, qui scripta proponunt negotia iuridica non spectantia, in his elegantia obseruetur, non impedimus, quin adeo praecipimus, nec ICTo quidem permittimus illis ingerere singularia artis suae.

§. XXVII.

De distincta et scopo congrua explicatione cogitationum.

Vt tandem distincte et ad finem propositum in iis quae de iure proponis omnia ordines, iubet ratio (§. XVIII.) quod fiet si, quem



quem intendis, finem semper spectabis, nec diffuse nimis nec arctius tua propones. Scio, magis verbositate laborare stilum iuridicum, quam breuitate, adeo vt garrulum pincturus, pingas aduocatum, sed hoc partim ex forma est, partim, vt paginarum numerus crescat indeque et sportularum summa; si primum; debet tolerari, nititur enim consuetudine; si alterum; improbandum est. Non male placent, quae apud Romanos inualuerant recitationes eorum, quae quis elaborauerat, coram aliis CELLARIUS in *antiquit. Rom.* ex edit. Cel. WALCHII p. 483. Poteris scilicet ea, quae in causis iuridicis propositurus es, monstrare aliis, vt iudicent an apposite omnia an ad finem comparata; in propria causa enim coecutimus.

§. XXVIII.

De conceptione.

Concipere abfassen est elaborare proponenda, in hac elaboratione quid obseruandum sit in exhibitis iuridicis iam videndum est (§. XVII.). Videtur autem:

- 1) diuersitatem exhibitum iuridicorum non permittere, vt generalem quamdam formam elaborationis tradamus, neque enim Chriarum vllum genus sufficere vult, neque nouum genus inueniri potest omnibus applicandum.
- 2) vnicam regulam dari tantum posse: respice scopum eius, quod tibi proponendum est, cui conuenienter ordina et distribue.

SCHOL.

Equidem DE IVSTI l. c. p. 139. voluit generalem quamdam formulam elaborationis proponere dicit enim: *Die Natur und das Wesen aller schriftlichen Aufsätze gibt von selbst an die Hand, daß wir erstlich die Sache, davon zu handeln ist, deutlich und nach ihrer wahren Beschaffenheit erzählen, vortragen und vorstellen, sodann aber entweder unser Geuch, oder unser Gutachten und Urtheil daraus herleiten und mit genugsamen Gründen unterstützen müssen. Jeder Aufsatz hat demnach zwey Haupttheile 1) den Vortrag oder die Erzählung der Sache, 2) die Abhanilung derselben, oder busdam applicari possit exhibitis, omnibus tamen nequit. Quid enim si protocollum scribendum, si contractus, si testamentum, si sententia concipienda.*

§. XXVIII.

§. XXVIII.

De externo habitu exhibitorum iuridicorum.

Ad externum habitum exhibitorum iuridicorum pertinent (§. XVII).

- a) formulae titulorum et inscriptionum. Plura enim exhibita ad aliquem diriguntur, aut a quodam emittuntur cui decens titulus, decens allocutio in ipso exhibito, decens Inscriptio (Adresse) tribui debet quique sibi haec tribuere debet. *Modus receptus et regulis munitus allocutionis aliis tribuendae, aut de se adhibendae et expressionum ad designandum mutuam relationem in scriptis adhibendarum dicitur Ceremoniale Cancellariae (Canzley-Ceremoniel) ex libris partim, partim ex usu illud addisci debet. Conf. Ill. PÜTTER in den Zugaben zu seiner Anleitung S. 51. seqq.*
- b) rubricae exhibitis dandae. In quibus usus idem quaedam introduxit. Sic defensiones solent quodam elogio legum ad rem pertinente exornari, sic quibusdam instrumentis praemittitur inuocatio S. S. Trinitatis, et instrumentis Notariorum quidem ex necessitate legis *R. I. de 1512. prooem. §. 3.* Sic actis iudicialibus, sic exhibitis partium tribuitur congrua inscriptio, et actis quidem ex causa quam continent et personis inter quas aguntur, partium autem exhibitis idem ex contentis. Quae res magis ex usu cuiusvis iudicii addiscenda est, quam ex regulis desuper dandis. Si tamen quaedam huc pertinentia desideras, inuenire calicebit in *Ill. erroris Anleitung für die Advokaten.*
- c) formulae conceptionis. Sunt nimirum in omni exhibitorum genere quaedam quasi sollemnes formulae, quibus initium aut finis exhibitorum includitur. Talis in contractibus bilateralibus: *Zu wissen sey hiermit etc. et in fine urkundlich etc. in vnilateralibus Ich Endes unterschriebener. In testamentis: Nachdem ich mich meiner Sterblichkeit erinnere etc. in Decretis iudicialibus Nachdem etc. also wird etc. in citationibus Wasgestalt etc. solches werdet ihr in sententiis: In Sachen des-entgegen-wird hiernit zu Recht erkannt in aliis auf erhobene - in Responsis: Nachdem uns eine Geschichts-Erzählung nebst etc. also sprechen wir für Recht et quis poterit totam hanc formularum compagem explicare, quarum in singulis exhibitis consideratio instituenda est.*
- d) formulae complicationis. Nam in hac quoque praxis aliquid obseruandum dicitur, vt quaedam in folio, alia in quarto ponantur.



nantur, alia in forma litterarum complicantur, alia non, alia folio secundum longitudinem in medio fracto inscribantur, alia non. Quae tamen minutiora vsus fori et leuior attentio, iam de eo monitum, te edocebunt.

§. XXX.

Idea exemplaris praxeos.

Quomodo optime colligantur et seiungantur omnia quae ad instructionem specialem praxeos pertinent, diuersa sunt diuersorum consilia (§. XVII). Nemo LYNCRERO *a*) subtilior, is enim centum fere diuisionibus et subdiviisionibus implicat hanc de laboribus practiccis IConsultorum doctrinam. Strictior DE IVSTI *b*) sed ab omissionis vitio quoque non vacuus. Diffusior Perill, NETTELBLADT *c*) sed in diuersas partes trahens, quae coniungi debebant, nec ex rei interna qualitate, sed ab externis circumstantiis repetens diuisionis fundamenta. Accuratioꝛ Ill. RÜTTERYS *d*) et ab argumento diuidens, ita, vt statim animum subeat cogitatio eius, quod in exhibitio proponendum sit, eiusque idea quaedam generalis statim ex ipsa diuisione et subordinatione pateat. Hunc ego sequenturus paucis mutatis, campum, quem colere debet practiccus, eiusque diuersos situs et plagas delineabo.

a) in instructioꝛio forensi L. II. Sect. 2. P. 2.

b) in der Anweis. zur guten deutschen Schreibart 2ter Th. 2tes u. folg. Hauptstück.

c) in der Abhandlung von der practischen Rechtsgelarttheit überhaupt.

d) in der Anleitung zur juristischen Praxi S. 68. folg.

§. XXXI.

Campus laborum practiccorum.

In tota earum, quae a Practico desiderantur expeditionum serie distinguendum mihi videtur:

1) negotium illud, quod in breui et distincta expositione eorum, quae in antea actis occurrunt, versatur, secundum diuersum finem qui intenditur, Hoc in genere dicitur *referre Bericht geben* complectitur vero, vt mihi videtur:

1) artem ex actis processualibus proponendi distincte momenta quae scitu necessaria sunt ad decidendam litem obuersantem, quae in specie *ars relatoria die Kunst zu referiren* dicitur.

2) artem distincte repraesentandi aliquid ita, vt status causae praecedentis inde cognosci possit ab alio, qui eius notitiam haurire cupit, quae in specie dicitur *ars referendi die Kunst Bericht abzufassen*.

Hoc



Hoc utrumque negotium generale mihi videtur ad vnumquemque Iureconsultum practicum aut in totum, aut in tantum pertinens.

- II) negotium illud, quod versatur in expediendo quodam quod praeterea ad officium Icti peruenire et ab ipso desiderari potest. In quo distinguo
- 1) illud quod ab officio Consulantis expectatur,
 - 2) illud quod ab officio iudicis desideratur.

§. XXXII.

Quae a Consulente expectentur?

Consulantis officium complectitur:

- 1) nude narrare quae aguntur et agenda sunt ad quod genus expeditionum referrem instrumenta notariorum, et instructiones, Memorialia
- 2) narrare et annexere congruentem conclusionem, quae diuersum scopum habet:
 - a) petitem quoddam vel iustitiae vel gratiae vel in processu vel extra illum. Quo loco agerem de litteris supplicibus, de libellis ciuilibus aequae ac accusatoris, de litteris pro impetranda dilatione, pro interponendo remedio suspensiuo, pro accusanda contumacia, pro impetrandi responso et reliquis quae addi solent productis partium.
 - b) deductionem iuris competentis. In quem censum veniunt scripta probatoria, Deductiones, Manifesta, Protestationes, Defensiones, in quibus omnibus causae differentia necessariam differentiam ipsius exhiberi non efficit.
- 3) ipsum ius applicare, in erigendis testamentis et pactis omnis generis et de iure dandis responsis, conficiendis rescriptis et decretis ex resolutione principum.

§. XXXIII.

Quae a iudice exigantur?

Totum iudicis officium in expeditione versatur. Videntur autem mihi haec expeditionum genera in officiis iudicialibus distinguenda:

- 1) quae narrant cognitiones factas. Quo spectant protocolla omnis generis in ciuilibus et criminalibus in processu et extra eum.
- 2) quae confirmant aliquid, vt in contractibus et testamentis.
- 3) quae testantur aliquid. Quo attestatorum iudicialium innumerabilis copia pertinet. v. c. *Geburts, Geleitsbriefe* inuentaria, attestata marginalia.
- 4) quae dirigunt aliquid, quo refero citationes et decreta interloquutoria, quibus aliquid imponitur aut permittitur partibus.
- 5) quae decidunt. Quo refero
 - a) decreta in causis extra iudicialibus.
 - b) sententias in litibus.



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
RESPONDENTI

S. P. D.

COLLEGIUM DISPUTATORIUM

INTERPRETE

I. H. ESCHEN L. L. C.

HOLSATO.

Pro egregia illa, quae in TE est, virtute et eruditione voluisti, vt ante discessum TVVM ex hac musarum sede prostraret, inter alia, quae iam antea edidisti doctrinae specimina, et haec de praxi iuris a TE ipso concepta et defendenda commentatio. In ea vero optime comprobas, haud ignorare TE, quae ad ICTi practici officium spectant, ipsumque hausta legum doctrina habilem reddunt ad vsus publicos. Honori sibi ducit collegium nostrum disputatorium tale membrum, cuius eruditio et in disceptando sollertia ceu exemplar reliquis membris fuit propositum, quod sequantur et intueantur. Mihi id officii tributum est, quod suauissimum duco, vt vnita vota totius collegii TIBI aperiam et vnitos plausus. Omnes, persuasi de comparatis TIBI legitimae scientiae thesauris et habitu inseruiendi reipublicae, optamus, vt sospiti ac incolumi TIBI suauior fortunae lux semper fulgeat, vtque in comitatum TVI honores promeriti veniant et mollia fata. Nostri memoriam de meliori TIBI commendamus, TVI nunquam oblituri.



ULB Halle
004 453 824

3



Sb







4

Praxi rum-1
1766, 6

DISSERTATIO
DE
P R A X I I V R I S
M O N I T A G E N E R A L I A
S I S T E N S

P. 462

Q V A M
C O N S E N S V I L L V S T R I S F A C V L T A T I S
D I E X X I I . M A R T I A . M D C C L X V I .
P R O P O N V N T
P R A E S E S
I A C O B V S R A V E
P H . E T I . D .
C V R I A E P R O V . S A X . A D V . O R D . P H I L . P R O F .
E X T R A O R D .
E T
R E S P O N D E N S
C H R I S T I A N V S A V G V S T V S S C H O L B E R
L . L . C .
A L T E N B U R G E N S I S .

I E N A E
L I T T E R I S F E L I C I S F I C K E L S C H E R R I L

